ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Perillustris Dne

Inopinato percellor nuntio, nempe refertur, Serenissimum Dn
Principem crastino Luce discessurum: quod quidem mihi
intellexisse visus fueram non nisi die Jovis futurum.
Sunt in arcto mihi consilia: namq. et Lugdunum Batavorum
eundum ~~mihi~~ [et], et quae de Melitensibus Equitibus sum
commentatus, ante vesperam crastinam descripta
habere non possum; peribitq. ~~mihi~~ ex asse omnis obsequij
gloria, si tempore alieno Eae Suae Celsitudini exhibeantur
nihil profutura, post bellum, quod aiunt machinae. Ad
te confugio ut numen tutelare: quod matutini tempo
ris hora, compellationibus ac salutandis magnis nomi
nibus incommoda negat, pitacibus committere Cadmi
filijs cogor. Expedias me rogo quaeso, et num qua fieri
possit, ut quidquid hoc erit scripti in amicissimas manus
tuas Mercurij die consignetur certiorem, sodes, redde. Tum
vero quoque prolixissimae humanitatis solito favore hunc meo
hominem bea, et quod commendatum erit, per te Seren.
Principi exhibitum iri, promitte. Nihil unquam erit aut
officiorum, aut quae in te gratum quid praestare potero
quod non promtissimis obsequijs, cura ac fide summis sic
sum praestiturus, ut ipso facto deprehendas, omnibus posthabi
tis illum me esse, qui se suaq. tibi consecrarit. Sum quo
ad vivam

Perillustris dne

Illustrissmo nomini ac virtutibus tuis
dicatissimus
Graswinckel.

Hug. 37.

11 Apr. 1644.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Graswinckel) 5
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3494

D EE Heere van
Zulichem.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Graswinckel) 5
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3494